

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria, Historica, Critica

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Epigramma anthologiae Latinae integritati suae restitutum

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1660](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1660)

# EPIGRAMMA

## ANTHOLOGIAE LATINAE

INTEGRITATI SUAE RESTITUTUM.

EX EDITIONE

RUTILII LUPI, p. 258 — 260.

**I**n verbis *leti et teli*, apud Virgil. Aen. XII. 916. a Julio Rufiniano laudatum, facilis fuit literarum transpositio. Similis commutatio facta est in Epigrammate, uno omnium venustissimo, Anthol. Lat. III. 102. p. 632. quod per hanc occasionem integritati suae restituamus:

*Jam libet ad lusus, lascivaeque furta reverti.*

*Ludere, Musa, juvat. Musa severa, vale.*

*Nunc mihi narretur tumidis Arethusa capillis,*

*Nunc adstricta comas, nunc resoluta comas:*

*Ut modo nocturno pulset mea limina signo, 5*

*Intrepidus tenebris ponere docta pedes:*

*Nunc collo molles circum diffusa lacertos,*

*Ut flectat niveum semisupina latus.*

*Inque modos omnes, dulces imitata tabellas,*

*Transeat, et lecto pendeat illa meo. 10*

*Nec pudeat quidquam, sed me quoque nequior ipso*

*Exsultet toto non requieta toro.*

*Non deerit, Priamum qui desleat, Hectora narret.*

*Ludere, Musa, juvat. Musa severa, vale.*

Non una macula hoc epigramma foedatur. Vs. 3.  
facili et certa emendatione scribendum:

*Nunc mihi narretur tumidis Arethusa papillis,*  
Ovid. Remed. Am. 337.

*omne papillae*  
*Pectus habent tumidae: fascia nulla liget.*  
Martial. VIII. Ep. 64.

*Et talis tumor excitet papillas,*  
*Quales cruda viro puella servat.*  
Prudent. adv. Symmach. II. 38.

*Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.*  
Pari elegantia papillae turgere dicuntur. Auctor Per-  
vigil. Vener. 14.

*turgentes papillas de Favoni spiritu.*  
Auson. Epigr. 94.

*Punica turgentes redimibat zona papillas*  
*Hermiones: zonae textum elegion erat.*  
*Qui legis hunc titulum, Paphie tibi mandat, ames me:*  
*Exemploque tuo neminem amare vetes.*

Quod epigramma Ausonius vertit de inedito Graeco  
Asclepiadis εἰς Ἑρμιόνην ἑταίραν.

Ἑρμιόνη πῖθανῆ ποτ' ἐγὼ συνέπαιζον ἐχολοῖα  
Ζώνιον ἐξ ἀνθέων πομίλον, ὦ Παφίη,  
Χρῦστα γράμματ' ἔχον. δι' ὄλου δ' ἐγέγραπτο Φίλει με,  
Καὶ μὴ λυπηθῆς ἦν τις ἔχη μ' ἕτερος.

De hac papillarum forma plura Junius de Pictura III.  
9. 27. Mox vs. 9. *tabellae* Venereae dulces vocan-  
tur. Frigide et inepte, si quem pulcri sensum habe-  
mus. Repone:

*Inque modos omnes, ductus imitata tabellae,*  
*Transeat.*

Are-



Arethusa gestibus exprimebat *concupitus varios*, *Venerisque figuras*, quas artifex in tabella duxerat. *Ductus* quam proprium sit, nihil attinet exemplis demonstrare. Stautus Silv. IV. 6. 23.

*artificum veteres cognoscere ductus.*

*Ducti et dulci* etiam confunduntur apud Claudian. in Rufin. I. praef. 13. Denique vs. 10. nullum idoneum sensum elicimus ex his:

*et lecto pendeat illa meo.*

Verum si literarum transpositio, de qua paullo ante diximus, adhibeatur, statim legendum esse apparet:

*et telo (\*) pendeat illa meo.*

*Telum* quid sensu nequam sit, clarum est ex Martiale XI. Ep. 79.

*Pacificare semel cupido dabit illa marito,*

*Dum metuit teli vulnera prima novi.*

Qui versus eleganter expressi sunt ex Epigr. in Priapej. p. 63.

*Quod virgo prima cupido dat nocte marito,*

*Dum timet alterius vulnus inepta loci.*

Describitur vero genus Veneris, quod Graeci *κελητιζειν* vocant. Asclepiades Epigrammate apud Drevillium ad Chariton. p. 158.

*ΩΙ πολὺ ὕπτιον ἴππον ἐγύμνασεν, οὐδὲ ποτ' αὐτῆς*

*Μηρὸς ἐφοινίχθη κουφὰ τινασσομένης.*

Asclepiadem, ni fallor, expressit Horatius Serm. II. 7. 50.

*Ciu-*

[ (\*) Dissentiens a Ruhnkenio Toupius in margine exemplaris sui coniecerat *et lateri*: vid. Praef. Ed. Angl. Opusc. Ruhnk. p. xxxviii. Sed de tantorum ingeniorum discrepantia nostrum non est sententiam dicere. ]

411 EPIGRAMMA ANTHOL. LATINAE.

*Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum.*  
 Lectionem *telo*, quam revocavimus, etiam confirmat  
 adjunctum verbum *pendere*, quod in hac nequitiae  
 palaestra tanquam sedem habet, Juvenalis VI. 320.

*Lenonum ancillas posita Saufeja corona*

*Provocat, ac tollit pendentis praemia coxae.*

Sed commentarii instar est locus Apuleji Met. II. p.  
 32. *inscenso grabbatulo, super me coxim residens, ac  
 crebra subsiliens, lubricisque gestibus mobilem spinam  
 quatiens, pendulae Veneris fructu me satiavit.* Cum  
 vs. 13. comparandum est Stratonis Epigramma MS.

Μὴ ζῆτει δέλτοισιν ἐμοῖς Πρίαμον παρὰ βωμοῖς,

Μηδὲ τὰ Μηδείης πένθεα καὶ Νιόβης,

Μηδ' Ἴτυν ἐν θαλάμοις, καὶ ἀηδόνας ἐν πετάλοισιν.

Ταῦτα γὰρ οἱ πρότεροι πάντα χύδην ἔγραφον.

Ἄλλ' ἰλαραῖς Χαρίτεσσι μεμιγμένον ἡδὺν Ἔρωτα,

Καὶ Βρόμιον. Τούτοις δ' ὀφρῦες οὐκ ἔπρεπον.

— Ao. MDCCLXVIII.

